

Virga ad percussorem, baculus ad sustentationem pertinet. Virga ergo dum castigat Deus, baculus interim sustentat. Hinc episcopo Philadelphe scribit per Joannem Christum Apoc. III. *Quoniam servasti verbum patientie mee, et ego servabo te ab hora tentationis.* Quem talis virga et baculus non consoletur? Quis ea non sustineat, imo exosculetur summa cum patientia et æquanimitate? Audite quid de Turcarum patientia scribat Augerius Busbequius, in legatione sua Turcica, ep. III. « Est, inquit cum primis admirabilis Turcarum in accipienda castigatione patientia: in suris, in soleis, in natibus, sæpe ultra centum plagas excipiunt, ut plures cornei fustes nonnunquam confringantur; et illo identidem sit opus. Cedo alterum ac tametsi in promptu sint remedia, fit tamen aliquando, ut plures libræ vitiatæ carnis e locis illis contusis ferro circumcidendæ sint. Nihilominus adire eum, ejus jussu cæsi sunt, et manum deosculari et gratias agere coguntur, et licet pro singulis verberibus certam mercedem solvere. Nam fustem quidem illi, quo castigantur, sacrum habent, nec dubitant primum delapsam cælo credere, non minus quam Romani sua ancilia. » Hæc ille. Deus bone! Barbari tanta cum tolerantia tantas sustentant plagas, ab iniquis sæpe iudicibus, certe barbaris et immanibus: et non sustineant Christiani virgam Dei, patris amantissimi? Virgam non enecantem, sed sustentantem? Turcarum præsidia feriunt sicut tauri, qui cornua habent supra oculos, et feriendo claudunt eos, adeoque nesciunt, cur, quomodo, et quid feriant. Non ita Christus Deus noster, qui ferit sicut unicornis et rhinoceros, quia cornua habent infra oculos, ac proinde videt quem, cur et qua ratione percutiat. Unde de eo in figura Josephi dicitur Deut. XXXIII. *Cornua rhinocerotis cornua ejus;* ut exponit S. Ambrosius, l. de bened. patriarch. et Ps. XXVIII. *Dilectus quemadmodum filius unicornium* appellatur, quod de Christo exponit S. Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus.

V. Denique anchoras ejiciunt, quibus firmant navim, ne a ventis abripiantur in littora aut scopulos, aut præcul sitas terras. Anchora spem et confidentiam significat, ejus præsidio aposto-

lus usus in tribulatione fuit, ad Hebr. III. scribens: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Syrus vertit: *Quæ retinet animam nostram ne commoveatur.* Anchora in fundum maris injicitur, spes in cælo, et Deo figitur. Quamdiu non perdunt anchoras nautæ, bene de sua incolumitate sperant; illis perditis omni præsidio destituti sunt. Sic omnino attendendum nobis ne in tribulatione spem abjiciamus, uti monet idem apostolus ad Hebr. X. *Nolite itaque, inquit, amittere confidentiam vestram.* Hoc egregie præstitit S. Job qui licet omnia perdidisset, possessiones, liberos, valetudinem, haberet etiam adversantes amicos et uxorem, adeo ut in rebus humanis plane desperaret, nec aliud præter mortem expectaret, spem non amisit; quinimo: *Etiamsi occiderit me,* inquit cap. XIII. *in ipso sperabo,* unde mox subjicit orans: *Parce mihi, Domine,* qui certe non oraret, nisi speraret. Perdidit e contra hanc fiduciam Petrus, cum ambulans supra aquas sibi timeret, unde et mergi cœpit, Matth. XIV. Quapropter S. Xaverius tot maria pernavigans, tot pericula, nihil aliud timuit, præterquam diffidentiam de Deo, ne aliquando in eam incideret, securum se existimans, quamdiu anchora spei securum retineret.

Ac licet Deus rem eo devenire sinat, ut plane desperata videatur; non tamen deserit nos, si hanc anchoram teneamus. Dicitur enim in Psal. IX. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione,* quando scilicet opportunum et necessarium est auxilium. Sic non nisi deficiente vino suppediavit novum: non nisi vibrato jam ictu in Isaacum, continuavit manum patris: non nisi jam educta ad lapidationem Susanna misit Danielelem ad eripiendam eam: Davidem, quando jam in modum coronæ cinctus erat ab hostibus, salvavit: Danielelem jam inter ora leonum positum, tres pueros in fornacem coniectos adjuvit: Petrum jam morti addictum et facto mane duendum, carcere eripuit; quia tempora illa opportuna erant ad Dei gloriam ostendendam. Hæc sunt exercitia, quibus occuparios decet in tempestate et angustia, etc.

## DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

EVANGELIUM. MATTH. XIII.

In illo tempore: Dixit Jesus turbis parabolam hanc: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus et colligimus ea? et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

### CONCIONES.

- I. Cur inter bonos toleret Deus malos.
- II. Liberum arbitrium cur homini collatum.
- III. Concupiscentia cur in homine.
- IV. Cur alii fortunati, alii infortunati.
- V. Cur a Deo permittantur hæreses.
- VI. Quam multos offendat peccator.
- VII. Documenta.
- VIII. Mystera.

#### CONCIONES AUCTARI.

- I. Peccata cur permittat Deus.
- II. Cur impios Deus toleret, et prosperari sinat.
- III. Peccatores cur zizania dicti.
- IV. Quænam zizania potissimum e communitate extirpanda.
- V. Dies judicii extremi similis messi.

### CONCIO I.

#### CUR INTER BONOS TOLERET DEUS MALOS.

- I. Quia possunt fieri boni. — II. Ut exerceant bonos. — III. Ut inserviant bonis. — IV. Ut et mali suo modo remunerentur. — V. Ut ostendat Deus clementiam suam. — VI. Ut appareat Dei justitia. — VII. Ut appareat Dei potentia.

#### THEMA.

Sinite utraque crescere usque ad messem. Matth. XIII.

Quod dixerunt et voluerunt servi in hoc evangelio de zizaniis, hoc dixerunt et voluerunt, dicunt et volunt, etiamnum multi justi, et zelo pleni viri de perversis hominibus: *Vis imus et colligimus eos? Vis eradicemus eos?* Talis primo Habacuc, qui capite I. ad Deum ait: *Quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante im-*

*pio justiore se? Et facies homines quasi pisces maris et quasi reptile non habens principem? Ut enim pisces alter alterum devorat, fortior imbecilliorum, grandior minorum; ita fit sæpe inter homines justos a Deo deseri, quasi essent pisces aut reptilia. Ita etiam David, Psal. XLIII. Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Exurge, quare obdormis, Domine? Et iterum, Psal. XCIII. Usquequo peccatores, Domine? Usquequo peccatores gloriabuntur, etc. Certe tanta est hæc res, ut aliqui propterea negarint Dei providentiam, et putarint eum nostra vel non videre vel non considerare aut curare, Quare indagemus hujus rei causas.*

I. Tolerantur mali inter bonos, ne simul eradicetur et triticum, id est, justi; quia fieri potest, (inquit D. Augustinus, serm. XLVI. de diversis) ut qui hodie sunt zizania cras sint fru-

mentum. Natura quidem ex zizariis facere triticum nequit, potest tamen gratia Dei ex reprobis facere bonos. Angeli tantum sicut immobiliter apprehendunt, ita immobiliter volunt et volito adherent; (unde mali angeli expectati non sunt post primum peccatum ad poenitentiam, et bonis dilata non est gloria post primum actum virtutis.) Homines vero non item, quia cum per discursum res apprehendant, et facile in eo decipi possint, inde fit multoties ut cras velint, quod hodie nolunt, et contra. Inde Psal. LXXVII. dicitur: *Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum, et non disperdet eos, etc. recordatus est quia caro sunt.* Sunt enim homines veluti chordæ in cithara, quæ etsi sæpe dissonant, temperari tamen possunt. Ut igitur citharædus non statim frangit citharam, quia chordæ aliquæ dissonant, sed potius eas aptat, ita cum peccatoribus agit Deus. In vitis pp. fol. CCC. legitur anonymus religiosus cuidam interroganti, num Deus peccatorum misereatur, respondisse: « Tunc ubi chlamys tua lacera est, eam protinus abjicis? Ita nec Deus: custodit quippe eos, quos ad imaginem suam creavit. Resarciri potest tunica et diu utilis esse, quemadmodum et peccator. » Exemplo sunt Samaritani, quos, cum Dominum, Luc. IX. in civitatem suam recipere nollent, duo illi Boanerges Jacobus et Joannes irati extinguere gestiebant, sed quid audierunt? *Nescitis cujus spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Cui voci quasi prophetiæ eventus respondit, nam ut eo loco ait Sanctus Ambrosius, Samaritani postea citius crediderunt quando cum magno gaudio evangelium primi receperunt, uti legitur, Act. VIII.

II. Ut boni per malos exerceantur et exaltentur. Zizania naturalia nocent tritico, idque ad terram trahunt: contra, reprobi prosunt bonis. Pene omnes ludi in quadam lite et pugna consistunt, ubi alter alterum capere, alter alterum vincere robore, velocitate, astu, ingenio contendit. Pugnant in utero matris Jacob et Esau mutua collisione: major tamen servit minori, Esau videlicet Jacobo: « Non obsequendo, sed persequeundo, (ait Augustinus, serm. LXXVIII. de tempore,) quomodo persecutores martyribus, quomodo limæ vel mallei auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi palea consumitur, aurum probatur. » Sine hac hostilitate, nulla fere exercitatio est. Hinc Lacedæmonii hostem aliquem superesse quam omnino delere maluerunt. Cum enim rex eorum urbem quæ Lacedæ-

dæmoniis ruitum sæpe negotii facessebat, penitus eversurum se polliceretur, ab ephoris seu præsidibus ne id faceret, monitus est; dicebant enim: *Juvenum cotem ne destruas neve tollas*, apud Majol. tom. III. canicul. coll. III. Cos hebetatur, ferrum acuitur: sic mali deficient, justi ab iis tribulati proficiunt. Ursus cum imbecillo sit capite, ejus sanandi gratia, immergit id alvarius ut ita apum aculeis undique vulneratum noxium sanguinem emittat, teste Pierio, l. XI. hierogl. Cur igitur justi non æquanimiter tolerant malos, a quibus velut apibus phlebotomiam patiuntur, et sanantur? Id in se expertus David, ait Psal. CXVII. *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis.* Ignis absumens spinas, tribulos et vepres in agro, reddit eum fertiliorem; sic reprobi proborum defectus taxant, eosque interim meliores reddunt. Hinc Job tantus inter Chaldæos, David juxta Saulem, Abel juxta Cain, Joseph juxta fratres, Jacob juxta Esau, etc.

III. Ut mali justis sint adjumento, eisque inserviant; nam eis vel inviti sæpe utiles sunt, teste Augustino, in lib. questionum ex Matth. capite. XII. In aula principis sunt aliqui nobiles aulici, qui splendide aluntur et habentur velut domini: alii vero sunt servi, stabularii, coqui, venatores, etc. qui necessaria parare principi ejusque aulicis debent; ita in hoc mundo reprobi aluntur, ut saltem serviant probis, similes Judæ, qui in collegio Christi licet sibi malus, servit tamen aliis, curam oculorum habens. Similes ulmo arbori, quæ fractum quidem non affert, portat tamen vitem fructiferam. Idem typice expressum fuit in Gabaonitis, qui vivere quidem inter Israelitas permissi sunt, ita tamen ut in usum universæ multitudinis perpetuo ligna cæderent, et aquas comportarent. Nonne Eliæ dixit Deus, III. Reg. XVII. *Corvis præcepi ut pascant te ibi?* Corvi sunt peccatores fœdi, rapaces, qui nutrire debent bonos. Per paleam et triticum significari peccatores et justos patet ex evangelio: atqui paleæ utilissimæ sunt tritico, fovent enim et tuentur id a calore nimio et frigore, necnon ab avium morsibus; ita mali prosunt bonis mira Dei providentia. Exemplum hujus rei scribit Joannes Moschus, in prato spirit. cap. CLXXXIX. de negotiatore quodam, qui cum rem suam naufragio perdidisset, et ita ad pauperiem redactus a creditoribus suis in vincula conjectus esset, sua omni suppellectile creditoribus addicta, nec haberet quo se exsolvere posset, nec uxor ei crebro in carcere assidens, alimenta quidem præbere ob inopiam posset, accidit ut homo quidam copiosus carcerem ingrederetur vinetis benefactorus, qui cum feminam illam viro

assidentem torma, et moribus gratiosam mœstam conspexisset, fortunam ejus inquit et quid isthæc mœsta consideret, quæ exponit naufragium et nomina creditorum: tum dives se pro viro satisfacturum spondet, si ipsa sibi consentire velit. Mulier casta et simplex, audisse olim, ait, ex apostolo, mulierem, in potestate viri esse; percontaturam se maritum, et renuntiaturam quid ille juberet: perinde quasi in potestate viri esset, mulierem prostituere. Maritus quamvis miser noluit offenso Deo liber esse, pergere uxorem ad divitem et negare jubet, adfuturum sibi alio medio Deum. Redit illa ad divitem: Et maritus, inquit, negat fieri posse quod petis. Audit tum per fenestram hanc conjugum integritatem et castitatem latro quidam in eodem carcere clausus, qui cum antea de Deo nihil cogitasset, mox in se rediens et ingemiscens: En hi conjuges, ait, extrema in angustia constituti honestatem pecuniæ præferunt, et libertatem peccato emere verentur, ego vero hominum pessimus pecuniæ causa tot homines innocuos mactavi, igitur ad conjuges hos conversus et per fenestram locutus: Animadverti, inquit, fidem vestram; ego latro de perpetratis doleo. Vos ite ad illum locum (quem designabat) civitatis, et effodite quod ibi abscondi aurum, exsolve vestra debita, et de reliquo vivite, et Deum pro me exorate. Ducto paulo post latrone ad supplicium, uxor ad designatum locum abit et reperit ollam plenam; unde paulatim, ne res adverteretur, creditoribus satisfecit, et maritum vinculis exemit. Nonne in hac historia corvus pavit etiam? Latro homines justos.

IV. Ut sic mali etiam suo modo remunerentur a Deo: qui cum multa opera faciant moraliter bona, licet extra gratiam atque adeo ad beatitudinem non pertinentia, ea sunt de congruo saltem meritoria bonorum temporalium. Ita quod cum Dei mandato Nabuchodonosor Tyrum expugnasset, pro mercede Deus fecit eum regem Ægypti, Ezech. Ita Rahab illa servata est et in medio Israel habitare permessa, quia legatos ejus servaverat, Jos. VI. Ita Romanorum eximiam olim gloriam et felicitatem S. Augustinus, lib. V. de civitate, cap. XV. bonis eorum moribus, politiæ et artibus adscribit. Proverbio dicitur, quo pejor, eo felicior: sed fortuna hæc non accidit præter Dei providentiam; ea siquidem post se in dorso gerit infortunium maximum, quod exemplo prodigi filii possumus intelligere. Mali enim instar prodigi filii petunt hic et absumunt portionem substantiæ suæ, perdunt vero interim paternam hæreditatem: boni

e contra patienter sub dominio patris remanent et æterna expectant. In cujus rei figuram Abraham filio suo Isaac legitimo hæredi dedit omnia et immobilia et cuncta quæ possederat: filiis autem concubinarum (ex Agar scilicet et Cethura) uxorum quodammodo servilium munera tantum, id est, mobilia quædam, separavit eos ab Isaac filio suo, Gen. XXV. Terrena ergo et improbi capiunt, sed excluduntur a cœlestibus et a Deo separantur: boni capiunt cœlestia et cum Deo manent.

V. Ut Deus clementiam suam nobis commendet dum adeo tarde procedit ad damnationem impiorum; si enim antequam ab Ecclesia quis excommunicatur, tertio et sæpius interdum monetur, quid mirum si hoc faciat etiam clementissimus Deus ante æternam excommunicationem? Videt enim ipse poenarum infernalium atrocitatem, videt æternitatem, quæ nos nec videre nec intelligere possumus: ideo diutius expectat ut videat si quo modo convenienti impios servet; quæ si nos videamus, idem sentiremus. Franciscus I. Galliæ rex post captivitatem a Carolo V. dimissus, cum a suis instigaretur ad restaurandas copias, et ultionem de imperatore sumendam, respondebat illis: *Vos non interfuitis prælio ad Papiam*, Peucer. in lect. chron. anni 1574. Interfuit sane ipse et vidit quanto sanguine constiterit prælium illud, vidit miserandam illam cladem; unde maluit ignominiam ferre victi, quam iterum tot copias in tam crudele prælium ducere. (Vide in ea ipsa civitate Papiensi non sine stupore maximam ossium struem, seu cumulum congestum ex illorum ossibus, qui in prælio illo ceciderunt.) Simili ratione nos optamus interdum, ut Deus perdat impios in oreum detrudat; sed non intersumus nos inferni poenis, non cernimus voraces illas flammæ, sulphur et fumum, non audimus inferorum clamores et ejulatus, fletum et stridorem dentium, alioquin aliter sentiremus; cernit vero et audit Deus. Hinc ipse singulari cautela vetat occidi privata manu; quemadmodum Cainum, in quo signum posuit, ne a quoquam interficeretur, Gen. IV. quia, ut S. Ambros. super ea verba dicit: *In hoc reflectere voluit errantem, et beneficio suo invitare ad correctionem.* Ut enim principes solent in certis locis statuere tabulas et imagines certarum ferarum, præcipiuntque ne quis ea audeat venari, utpote quas ipsi venationi suæ reservari volunt: sic Cainum Deus voluit immunem esse a cæde, quo diutius vivens longius haberet spatium poenitentiae, per quam, si vellet, in Dei rete cogi, et gratissima ei præda fieri posset. Hanc etiam ob causam David ducibus suis pugnaturis contra

Absalon præcepit : *Servate mihi puerum Absalon, q. d. ideo servate et ne occidite illum, quia puer est ex ignorantia in me peccans, sapiet suo tempore, si vixerit, ut docet S. Aug. l. III. de doct. christ. c. XXI. Et ideo tam dolenter accepit ejus mortem, tamque acerbe planxit, quia nimirum merito timebat ne in æternum periisset. Tamquam pius luxit eum, inquit Teodoret. q. XXVI. qui non poterat amplius curari per penitentiam.* Narrat S. Dionys. in ep. ad Themophilum, Carpum quemdam zelo percitum postulasse, ut duos, quorum alter alterum ad impium cultum abduxerat, e medio Deus tolleret et occideret. Interim Christus ei per somnium apparet et monstrat ei ingentem hiatum, in cujus ore stabant duo illi peccatores trementes. Ad hos ascendebant immanes ex hiatu serpentes, ut eos involverent ac secum traherent in barathrum, sed et ipse Carpus cum quibusdam aliis impellere eos videbatur ac dolere, quod non mox deciderent. Sed dum interea sursum aspicit, videt Christum porrigentem illis, qui cadere videbantur, dexteram et tenentem eos ac dicentem : *Feri me; jam paratus sum enim rursum hominum causa mortem perpeti.* Vides hic quam benignus et dissimilis sit nobis Deus! Quam nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat!

VI. Ut appareat Dei justitia, qua justissime damnat malos, quibus diuturnum penitentiae agendæ spatium concessit. Eo pertinet, quod Christus de sterili ficu, Luc. XIII. *Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio, succide ergo illam, q. d. satis diu expectavi, non est spes emendationis; fiat ergo justitia.*

VII. Ut appareat Dei potentia; siquidem non effugient manus ejus peccatores, etsi per aliquod tempus fruuntur voluptatibus suis; sinite eos crescere, sed quousque? Usque ad messem. Si principi alicui nunties apros aut cervos esse in proxima silva, non illico persequetur eos princeps, sed dicet : *Non effugient manus nostras, quia spatiosa est nostra terra, sinite eos crescere; suo enim tempore expandemus retia nostra et capiemus eos.* Non vidisti, opinor, aristas in agris jam demessis quæ fugerint mesorum falces? Omnes excisæ sunt a recurva et voraci falce. Non reperistis facile feras in silvis senio extinctas? Omnes in retia coguntur et venatorum manibus jugulantur. Pari modo peccatores, saltem quantum volent, non effugient manus Dei. *Expandam super eos rete meum, inquit Dominus, Os. VII. quasi volucrum cæli detrahā eos.* Idipsum septem fratrum Macchabæorum

minimus Antiocho, cujus imperio necabatur, dicebat : *Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.* Et iterum : *Noli frustra extolli vanis spebus : nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis judicium effugisti, II. Macch. VII.* Ita Michaeli imper. Constantinopolitano in somnio, quod habuit Bardas Cæsar, dixit S. Petrus digito comminando : *Et tu, impie fili, expecta parumper, apud Baron. anno 867.* Expectat enim Deus donec peccator impleat mensuram peccatorum suorum; (neque enim amphora in puteum demissa mox subdit, sed prius paulatim aquis impletur; et tum repente mergitur) sic loquuntur venatores : *Usque ad venandi tempus. Venationis tempus, mors est. Licet peccatores millies in Deum insaniant ejusque iram provocent; omnes tamen illas injurias Deus uno ictu, uno lethali vulnere compensare potest mergendo eos ad inferos.* Eupo is mordax homo in ipsum etiam Alcibiadem principem Atheniensium mordacissimos scribere versus ausus est; quem tandem die quodam deprehensum demersit in mare dicens : *Tu me in scena sæpe mersisti Eupole; ego te semel mergam, refert Chavass. de pruden. l. II. c. VII.* Idem Deus peccatori, a quo tamdiu læsus est, aliquando dicet : *Tu me sæpe in hac mundi scena mersisti, blasphemis aliisque injuriis; ego te semel mergam, sed æternum.* Ita dicebat Hebræorum populo toties rebellanti, Exod. XXXIII. *Semel ascendam in medio tui, et delebo te.*

Quare quisquis peccator est, ne sibi blanditur de sua libertate : quisquis peccator non est, ne invideat peccatoribus libertatem et prosperitatem; sed ad finem potius attendat, etc.

## CONCIO II.

## LIBERUM ARBITRIUM CUR HOMINI COLLATUM.

I. Ad perfectionem universi. — II. Ad majorem Dei gloriam. — III. Ad hominum gloriam. — IV. Ad Dei delicias. — V. Ad hominum exercitium

## THEMA.

*Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo Unde ergo habet zizonia? Matth. XIII.*

Defenditur quidem Deus optimus maximus in hodierno evangelio, quod non sit auctor peccati, saltem directe; siquidem in agro mundi non seminavit nisi bonum semen : malum a dæmone superseminatum est. Sed si per agrum intelligamus ipsum hominem, quomodo non in eo seminavit semen malum, dum contulit ho-

mini liberum arbitrium, per quod peccare potest : ac proinde quomodo Deus non indirecte saltem peccatum seminavit? *Numquid ergo iniquitas apud Deum? Absit.* Insitum nobis a Deo est liberum arbitrium ut progignat honorum operum triticum, tametsi alioquin ex se gignere potest et triticum et zizania. Quod si zizania profert, culpa nostra est. Quamobrem vero hoc semen libertatis ad utrumque potens, insitum nobis sit, nunc audiamus.

I. Liberum arbitrium homini datum est, ad perfectionem et ornamentum universi, necnon ipsiusmet hominis; pertinet enim ad mundi complementum, ut sit aliqua creatura dono libertatis prædita : hæc autem est homo, qui ad imaginem Dei factus, et imperator orbis constitutus, ut plenum jus utendi creaturis haberet, libertate agendi decorari debuit. Principes aliqui habent in aulis suis servos duplicis generis, alios emptos et captivos, alios ingenuos sibi modo aliquo propinquos, nobiles, aulicos, barones, comites. Illis absolute imperant, velint, nolint; his vero comiter et urbane, non tam præcipiendo, quam insinuando illis voluntatem suam, quia honoratioris sunt, eique propinquoiores. Cæteris creaturis Deus præditur cum imperio, trahendo et cogendo ea, quæ ipse vult; hominem, velut earum proregem ad peragenda jussa sua comiter tantum invitare et allicere voluit, non cogere. Major autem dignitas, adeoque majus etiam beneficium est hominem relinquere sibi suæque electioni, interim eum suaviter allicere ad bonum, quam vi impellere. Certe si Romanorum imperator promulgaret per imperium, se velle ut integra aliqua natio veniat in Austriam omni opulentia plenam, in eaque sibi sedem deligat, acceptura loco paupertatis suæ divitias, si ad hoc eam cogere vellet, injuriam ei videretur facere : secus vero, si hoc eis liberum faceret. Proponit nobis Deus et promittit in cælo sedes beatissimas, neminem tamen cogit ad eas capessendas : facit omnibus liberum. Ut vero adjuvetur homo ad quærendam salutem suam et fugiendam perniciem, injecit ei quodammodo suaves funiculos, spem et promissionem summarum divitiarum, si obediat; minas summorum suppliciorum, si non pareat; gratiam item adjuvantem, exemplum suum et sanctorum, etc. Hoc est quod dixit Deus, Ose. XI. *In funiculis Adam (id est, hominis,) traham eos in vinculis charitatis.* Chaldaeus vertit : *Sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis, q. d. nolo eos ut bestias trahere, funibus canabinis; sed ut homines, alliciendo eos una ex parte immensa gloria, ex altera terrendo*

eos æterno supplicio et confusione. Nobilius utique est hoc trahendi genus, quam illud alterum.

II. Ad majorem Dei gloriam. Hinc enim elucescit magis Dei potentia et sapientia, dum homo etiam sibi et suæ voluntati permissus Dei providentiam nequit evertere aut ordinem ejus perturbare, ut fiat aliquid contra voluntatem Dei absolutam, sed illustrat potius. Habet enim Deus homines conclusos intra suæ providentiæ terminos, sicut venator in sua venatione cervos. Hos enim undique cingit, hic retibus, ibi canibus, alibi sclopetariis, etc. ut si retia evadant, incidant in canes; si hos effugiant, incidant in grandinem sclopetorum ferream, etc. Ita nemo etiam suo arbitrio relictus, Dei manus effugere potest : si enim fugiat Dei misericordiam, incidet in ejus justitiam. Vult quidem Deus, et instantanter monet ut omnes homines veniant ad sinum clementiæ ejus : quia tamen multi eum spernunt, excipiuntur a Dei justitia, ut ita Deus appareat, non tantum clemens, sed et justus. Julius II. pontifex fecit aliquando depingi judicium extremum a Michaele Angelo celeberrimo pictore. Hic cum episcopis et cardinalibus parum faveret, aliquos eorum penicillo suo in inferno collocavit. Pontifex hoc advertit, sed ne pictorem in transversum ageret, adeoque opus impediret, rem dissimulavit, donec opus perfectum esset, illud secum cogitans : *Modo finiat opus, sentiet mox in carcere, quod in odium præsulum pinxit.* Idem agit Deus. Vult quidem nos æternitati et accurate pingere, in emolumentum nostrum, non in damnum vel contemptum cujusquam. Tametsi vero plurimi multa impertinentia, imo tæda, noxia et injuria sibi et aliis pingunt; patienter tolerat Deus, ut opus providentiæ suæ ex bonis et malis hominum operibus concinnatum pulchrius appareat. Tandem vero in judicio victuram totam ostendet et quod quisque pinxit, pro meritis compensabit. Ita fiet ut Dei providentia, sapientia, potentia, bonitas et justitia clarissime pateant, quæ alioquin latuissent. Patebit Deum sibi sufficientem esse nec indigere suis creaturis. Patebit Dei bonitas, clementia et misericordia, qui peccatores resipiscentes tam benigne recepit; Dei charitas et liberalitas, qui ad eos convertendos tanta fecit; Dei patientia, qui eosdem delinquentes tamdiu sustinuit et ad penitentiam expectavit; Dei sapientia, qui e peccatis hominum tanta bona elicuit : velut ex Adami peccato tanta stratagemata et mira sanctorum opera, quibus eluctati sunt ex inferno ad cælum, de exilio in patriam, e miseriis in pristinam felicitatem; Dei justitia, qui pertinaces et refractarios meritis tandem pœnis mulctabit.